FLORA.

№ 19.

Regensburg. Ausgegeben den 1. Juli. **1869.**

Inhalt. W. Nylander: Circa reactiones Parmeliarum adnotationes. — Ders.: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — H. C. C. Schefer: Observationes phytographicae. — Botanische Notizen.

Circa reactiones Parmeliarum adnotationes.

Scripsit W. Nylander.

Cl. v. Krempelhuber in Flora hujus anni no. 14 applicationem communicavit reactionis ope hydratis kalici obtentae in *Parmelia perforata* Ach. et quibusdam speciebus accedentibus. Varias alias circa reactiones chemicas *Parmeliarum* observationes, quas feci, hic afferre liceat.

I. Species, quarum medulla hypochlorite calcico mox erythrinice tingitur.

Parmeliae, quae ope hypochloritis calcici reactionem medullae erythrinicam immediatam ostendunt, sunt: *P. olivetorum* (Ach.), *P. revoluta* Flk [1]), *P. tiliacea* (Hffm., cujus subspecies sint *P. scortea* Ach. et *P. carporhizans* Tayl.), *P. physcioides* Nyl., *P. Borreri* Turn., *P. hypoleucites* Nyl., *P. pluriformis* Nyl., *P. laceratula* Nyl., *P. polycarpa* Tayl., *P. fuliginosa* (Fr.). In iis omnibus medulla hydrate kalico nullam coloris mutationem offert; in *P. osteoleuca* autem nec thallus supra nec medulla eodem colorantur.

1) Extus *P. revoluta* similis est *P. laevigatae* (Sm.); sporae longit. 0,011—19 millim., crassit. 0,007—0,012 millim. In Gallia occurrunt saepius et adhuc *P. comparata* Nyl. atque *P. sinuosa* (Sm.), omnes commode notis chemicis dignotae, aliter autem saepe facile commiscendae.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0291-2

II. Species, quarum medulla hypochlorite calcico non tingitur.

Neque thallus supra neque ejus medulla hydrate kalico tinguntur in *P. relicina* Fr. [1]), Nyl. Syn. p. 386, et in *P. hypotrypa* Nyl. applicatione hydratis kalici.

In ceteris plurimis thallus plus minusve intense hydrate kalico flavescit et medulla eodem aut non tingitur aut aliis flavescit rut aliis mox flavescit deinque rubescit.

Sic, ut animadvertit cl. von Krempelhuber, in *P. perlata* Ach. medulla eo adminiculo chemico flavescit. At observare mihi liceat, huc relatum fuisse Lichenem datum in Fr. L. S. no. 335 et in Hepp Flecht. no. 578, qui numeri collectionum citatarum referunt *P. cetrarioidem* Del., ei autem thallus quidem tum bene flavescit (vel aurantiaco-flavescit), sed medulla haud tingitur. Haec *P. cetrarioides*, separanda a *P. perlata*, valde similis est *P. tenuirimi* Tayl., eidem vero medulla hydrate kalico mox miniato-rubet, unde differentia chemica praebetur manifestissima. *Platysma megaleium* Nyl. (*Parm. megaleia* Nyl. Syn. p. 378, *Plat. subperlatum* Nyl. in Flora 1866, p. 130) quoque sterile simillimum, sed reactione erythrinica medullae eximie dignotum, praeter notas apotheciorum spermogoniorumque. *P. cetrarioides* reactione thalli et haud parum forma convenit cum *Platysmate glauco* (quod perperam omnino beatus Hepp contendit, me commiscuisse cum *P. perlata*), sed facilius confunditur cum *P. olivetorum*, quae insignis macrophylla macrocarpaque obvenit in India (coll. Hook. no. 1958) et in China.

Etiam *P. macrocarpa* P. separanda videtur a *P. perlata* (var. *ciliata*), nam thallus (accedens forma ad *P. cetratum* Ach.) medullam exhibet hydrate kalico non tinctam; sporae longit. 0,015—20 millim., crassit. 0,008—0,012 millim. — Contra eo adminiculo examinis medulla flavescit in *P. comparata* Nyl., late distributa in terris exoticis, faciem vero habente *P. laevigatae*; sporae longit. 0,016—20 millim., crassit. 0,008—0,010 millim. Variat ea *P. comparata* medulla flavescente (ut in *P. sulphurata*) in Gallia. Esse possit varietas *P. perlatae* analoga ut est *cetrata P. perforatae.*

---

1) Scilicit *P. relicina* Fr. S. O. V. p. 283, minime Fr. L. E. reform. p. 70 (quae pertinet ad *P. sinuosam* Sm.).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0292-8

In *P. latissima* Fée medulla hydrate kalico flavescit (tamquam recte animadvertit cl. von Krempelhuber, distinguens ab ea *P. glaberrimam* Kphb. praecipue facillimeque medulla hydrate kalico e flavo rubricose tincta vel sanguineo-maculata, quae *P. glaberrima* in America distributa est e California in Brasiliam). Sed distinguenda etiam est *P. Nilgherrensis* Nyl., similis fere *P. latissimae*, sporis aequalis magnitudinis, at medulla hydrate kalico non tincta; habet se igitur *P. Nilgherrensis* ad *P. latissimam* omnino sicut *P. cetrarioides* ad *P. perlatam*. Lecta est in montibus Nilgherrensibus ad cortices a Perrottet. *P. subrugata* (Nyl.) Kphb. Exot. Flecht. p. 18 a *P. Nilgherrensi* (cum qua reactione deficiente congruit) sporis differt majoribus.

In *P. hypotropa* Nyl. reactio medullae eadem est ac in *P. perforata* (ad quam pertinet quoque omnino *P. Zollingeri* Hepp). Similis ea reactio in *P. subsumpta* Nyl. in Flora 1869, p. 117 (quum contra in *P. pluriformi* medulla hydrate kalico non tingitur, at hypochlorite calcico insigniter erythrinice coloratur).

P. Antillensis Nyl. subsimilis est *P. perlatae*, sed sporis minoribus et medulla agente hydrate kalico miniato-rubente.

P. sulphurata Tuck. thallum habet medulla flavescente, quae addito hydrate kalico flave tingitur.

Contra in *P. aptata* Kphb. medulla minime eodem adminiculo coloratur.

In *P. disparili* Nyl. eodem medulla flavescit.

In *P. crinita* Ach. medulla hydrate kalico non tincta. In coll. Bourgeau e Mexico, Orizaba, adest var. *eciliata* Nyl., quae ut propria species disjungi debeat, differens medulla hydrate kalico flavo-tincta et thallo quoque subtus rhizinis longis munito, margine apotheciorum integro eciliato, sporis longit. 0,024—30 millim., crassit. 0,012—18 millim. Alia ejusdem affinitatis species (e Caripe, Moritz, ex hb. Berol.) est *P. cristata* Nyl., thallo subeciliato, subtus rugoso et subnudo, medulla flavescente hydrate kalico luteo-tincto, receptaculo corrugato inaequali margine dentato-cristato, sporis longit. 0,025—30 millim., crassit. 0,016—20 millim.

In *P. laevigata* (Sm.), quae similis *P. perforatae* var. *cetratae* (Ach.) quoad faciem externam, medulla hydrate kalico non tingitur, at si, post actionem hydratis kalici, ibidem additur hypochloris calcicus mox eo loco oritur color erythrinicus. Sporae longit. 0,012—13 millim., crassit. 0,007—8 millim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0293-4

In *P. Caracensi* Tayl. (*P. cervicorni* Tuck.) medulla hydrate kalico non mutatur. Accedit arcte ad *P. laevigatam.*

Etiam in *P. Texana* Tuck. medulla hydrate kalico affusa manet incolor alba. Haec eadem apotheciis obscurioribus (spadiceis) datur in coll. Lindig. N. Granat. no. 110 et occurrit quoque in America boreali atque adhuc in Nova Zelandia.

P. sinuosa (Sm.) medullam habet hydrate kalico e flavo cito rubricose tinctam. Sporae longit. 0,011—20 millim., crassit. 0,008—0,012 millim. Est *P. Despreauxii* Dub. Datur in Lechl. Pl. Peruv. no. 2728.

P. meizospora (Nyl. Syn. p. 383) eandem offert reactionem. Sporae longit. 0,011—21 millim., crassit. 0,008—0,011 millim.

P. sublaevigata (Nyl. l. c.) etiam simili gaudet reactione (e flavo rubricosa, affluente hydrate kalico), at sporae ei sunt minores (longit. 0,08—0,010 millim., crassit. 0,005—7 millim.. In America, in Madagascar et in India orientali obvenit. — In *P. livida* Tayl. iidem characteres chemici et microscopici varietatem indicare videntur.

In *P. physode* Ach. medulla non tingitur, si guttula hydratis kalici humectatur. Idem observatur in *P. placorhodioide* Nyl. (cui synonyma est *Cetraria Billardieri* Mnt. Syll. p. 322) et *P. mundata* Nyl., parum a *P. physode* distantibus.

Nec in *P. encausta* Ach. medulla ope hydratis kalici tingitur, nec in *P. mutabili* Tayl., nec in *P. lophyrea* Ach. (*P. cribellata* Tayl.).

Sed in *P. pertusa* (Schrank) et *P. cincinnata* Ach., specie aegre diversis, medulla hydrate kalico flavescit.

Contra in *P. hypotrypa* Nyl. nec thallus extus nec medulla hydrate kalico reagentes.

Medulla *P. limbatae* Laur. eodem examinandi adminiculo aurantiaco-fulvescit, at thallus supra non coloratur. Contra in *P. relicina* Fr. nulla eodem reactio nec thalli supra nec medullae.

In *P. fraudante* Nyl. medulla thallusque hydrate kalico flavotinguntur, illa dein sanguinee rubescit. Eaedem reactiones obveniunt in *P. saxatili* (L.) et varietatibus ejusdem; credere ergo liceat, *P. fraudantem* vix sistere nisi varietatem accedentem ad *sulcatam* Tayl.

In *P. conspersa* Ach. medulla e flavo rubricose tingitur ope hydratis kalici, similisque ea reactio conspicitur in *P. congruente* Ach. et *P. molliuscula* Ach.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0294-0

P. subconspersa Nyl. satis similis est *P. conspersae*, sed medullam habet hydrate kalico non reagentem (non colore mutatam); adest in N. Zelandia, N. Hollandia, ins. Borbonia, Brasilia et (ni fallor) in Gallia meridionali (unde pinicolam habeo).

Etiam *P. distincta* Nyl. Lich. And. Boliv. p. 374 reactione ea kalica destituta est.

Similiter *P. centrifuga* (L.) et *P. incurva* (Pers.) nullam reactionem medullae ostendunt.

In *P. leucochlora* Tuck. medulla hydrate kalico flavens.

In *P. vagante* Nyl. etiam medulla hoc auxilio chemico flavescit, deinde fuscescit.

In *P. hypoleia* Nyl. medulla affuso hydrate kalico vix flavescens, serius violaceo-infuscata.

Tales sunt primariae Parmeliarum reactiones, quas hic memorare mihi proposueram et quae optime (vel acutissime sub lente) examinantur in thallo vel in ejus medulla denudata (potissime sectione horizontali e pagina infera facta) ope pennae anserinae minoris acuminatae in liquore reagente humectatae locoque secto applicatae; saltem hoc simplicissimum utilissimumque visum est instrumentum ejus examinis.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. Continuatio undecima. — Scripsit W. Nylander.

1. *Collema chalazanodes* Nyl.

Simile *Collemati chalazano*, at forsitan specie differens, nam sporas habet multo minores (longit. 0,012—17 millim., crassit. 0,008—0,015 millim.), saepe subglobosas. Thecae clavatae.

In Norvegia, Dovre [1]), Kongsvold (J. E. Zetterstedt).

---

1) Ibi etiam, in Warstien, lectum est a Dre. Zetterstedt ***Collema lichinodeum*** (non „lichenodeum", ut scribit Dom. Carroll in Journ. of Bot. 1865, p. 287), cui thallus lineari-laciniosus, laciniis ligulatis vulgo 2—3-divisis (latit. circiter 0,5 millim.), apicibus obtusis; intus fere sicut in ***Ephebe***, sed gonimiis aliis (colore licet subconvenientibus), scilicet parvis (diam. transversali 0,004—0,006 millim.) et in alveolis saepius moniliformi-junctis. Sterile modo visum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0295-6

P. subconspersa Nyl. satis similis est *P. conspersae*, sed medullam habet hydrate kalico non reagentem (non colore mutatam); adest in N. Zelandia, N. Hollandia, ins. Borbonia, Brasilia et (ni fallor) in Gallia meridionali (unde pinicolam habeo).

Etiam *P. distincta* Nyl. Lich. And. Boliv. p. 374 reactione ea kalica destituta est.

Similiter *P. centrifuga* (L.) et *P. incurva* (Pers.) nullam reactionem medullae ostendunt.

In *P. leucochlora* Tuck. medulla hydrate kalico flavens.

In *P. vagante* Nyl. etiam medulla hoc auxilio chemico flavescit, deinde fuscescit.

In *P. hypoleia* Nyl. medulla affuso hydrate kalico vix flavescens, serius violaceo-infuscata.

Tales sunt primariae Parmeliarum reactiones, quas hic memorare mihi proposueram et quae optime (vel acutissime sub lente) examinantur in thallo vel in ejus medulla denudata (potissime sectione horizontali e pagina infera facta) ope pennae anserinae minoris acuminatae in liquore reagente humectatae locoque secto applicatae; saltem hoc simplicissimum utilissimumque visum est instrumentum ejus examinis.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. Continuatio undecima. — Scripsit W. Nylander.

1. *Collema chalazanodes* Nyl.

Simile *Collemati chalazano*, at forsitan specie differens, nam sporas habet multo minores (longit. 0,012—17 millim., crassit. 0,008—0,015 millim.), saepe subglobosas. Thecae clavatae.

In Norvegia, Dovre [1]), Kongsvold (J. E. Zetterstedt).

---

1) Ibi etiam, in Warstien, lectum est a Dre. Zetterstedt ***Collema lichinodeum*** (non „lichenodeum", ut scribit Dom. Carroll in Journ. of Bot. 1865, p. 287), cui thallus lineari-laciniosus, laciniis ligulatis vulgo 2—3-divisis (latit. circiter 0,5 millim.), apicibus obtusis; intus fere sicut in ***Ephebe***, sed gonimiis aliis (colore licet subconvenientibus), scilicet parvis (diam. transversali 0,004—0,006 millim.) et in alveolis saepius moniliformi-junctis. Sterile modo visum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0295-6

2. *Cladonia stricta* Nyl.

In Nyl. Lich. Middendorff. p. 4. haec definita est ut var. *Cladoniae degenerantis* vel propria species. Podetia albida. basi latissime vel fere tota fusconigra et verruculose albido-punctata, gracilenta vel gracilescentia (crassit. circiter 1 millim. vel nonnihil crassiora) stricta, squamulis nullis, apicibus inaequali-corticatis furcato-divisis. Apothecia non visa.

In Norvegia arctica, Alten, socia *Ptilidii ciliaris* (J. E. Zetterstedt).

Thallus albidus hydrate kalico bene flavescit. Podetia speciminibus sibericis altit. 6—8 centimetrorum, norvegicis minora.

Defectu squamularum distat haec Cladonia a *Cl. lepidota*, quae reactione accedit. Affinis est *Cl. diplotypae* Nyl. in Flora 1862, p. 475, sed longe simplicior. *Cl. corymbescens* neo-caledonica etiam forsan magis affinis, sed thallo aliter diviso.

3. *Lecidea rubicola* Crouan.

Thallus cinereo-virescens opacus tenuis vel tenuissimus rugulosus indeterminatus; apothecia pallida vel luteo-pallida minuta (latit. circiter 0,3 millim.), margine tenui subthallodeo-obducto cincta; sporae 8nae incolores oblongae vel ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,010—17 millim., crassit. 0,004—5 millim. (in thecis pariete apicali incrassato), paraphyses graciles irregulares, vel non discretae, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo thecae coerulescentes (apice intensius tinctae), deinde vinose rubescentes.

Ad stipitem Rubi prope Brestum (Crouan).

Statu humido apothecia albicanti-incoloria; lamina tenui epithecium conspicitur album atque similiter perithecium extus et hypothecium infra alba. Spermogonia apothecia juvenilia imitantia, spermatiis peculiaribus lageniformibus, longit. fere 0,0035 millim., crassit. (apice crassiore) parum 0,001 millim. excedente (talia in nullo alio Lichene quam in *Lecidea leucoblephara* cognita sunt); sterigmata simplicia.

4. *Lecidea clavulifera* Nyl.

Thallus cinereo-virescens vel subflavo-virescens tenuis granulatus vel subleprosus, saepe granulis subdispersis; apothecia sordide ochraceo-rufa vel sordide testaceo-rufescentia aut nigricantia vel nigra convexa (latit. 0,2—0,5 millim.), jam juvenilia convexa; sporae 8nae minutissimae oblongae vel altero apice cras-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0296-2

siores (inde clavatae), longit. 0,004—6 millim., crassit. 0,001 millim. parum excedente, epithecium et hypothecium non infuscata, paraphyses non discretae. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde vinose fulvescens.

In Lapponia, supra radices abietis dejectae (J. P. Norrlin).

E stirpe *Lecideae globulosae*. Species facie externa parum notabilis, jam vero sporis minutis clavatis mox distinguenda. Lamina tenuis apothecii tota sordide tincta.

5. *Lecidea subinfidula* Nyl.

Similis extus *L. infidulae* (quae vix nisi var. est *L. sylvicolae* Krb.), sed differt sporis oblongis longe tenuioribus (longit. 0,006—8 millim., crassit. 0,002—3 millim.). Apothecia sordide aeruginoso-olivacea vel obscure livido-pallescentia convexa (latit. 0,3—0,5 millim.), intus coerulescentia; lamina tenui hypothecium et plus minusve thalamium coerulescentia. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvescens vel vinose rubens (praecedente coerulescentia).

Ad saxa micaceo-schistosa Lapponiae, Naimakka, regionis betulinae (Norrlin), in rima rupium.

Affinis est *Lecideae globulosae*.

6. *Lecidea absistens* Nyl.

Thallus albidus tenuis inaequalis rimulosus vel evanescens indeterminatus; apothecia vel nigricantia plana marginata (latit. 0,6—1,2 millim.), margine demum explanato, intus albida; sporae 8nae aciculari-fusiformes 3—9-septatae, longit. 0,035—65 millim., crassit. 0,002—3 millim., epithecium (cum supera thalamii parte) obscure coerulescens, paraphyses gracilescentes, apice clava nonnihil sordide coerulescente, hypothecium subincolor (vel supra dilute luteo-rufescens) infra (cum perithecio extus) fuscum. Jodo gelatina hymenea coerulescens, deinde thecae violaceo tinctae.

Prope Brestum ad corticem fraxini atque supra *Frullaniam dilatatam* fraxinicolam (Crouan).

Comparanda cum *L. bacillifera* f. *melanotica* Nyl. in Flora 1867, p. 373, sed ea thallum habet alium (an proprium ?) et hypothecium obscurius etc. A *L. endoleuca* [1]) et *arcentina* differt clava paraphysum coerulescente, sporarum mensuris, etc.

1) Observatu dignum, spermatia *L. endoleucae* esse arcuata, longit. 0,012—15 millim., crassit. non 0,001 millim. adtingente. Similia in quibusdem aliis stirpis *L. luteolae*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0297-8

L. bacillifera f. *leptophora* Nyl. differt ab *incompta* sporis minoribus (longit. 0,016—25 millim., crassit. 0,0020—0,0025 millim.) obsolete 3-septatis vel subsimplicibus. Ulmicola prope Brestum (Crouan). Etiam ibidem legit idem collector *L. plumbinam* (Anz.), parasitam in *Coccocarpia plumbea*, sporis 3-septatis (longit. 0,017—30 millim., crassit. 0,003—4 millim.); arcte accedit ad *subincomptam* Nyl. Lich. Lapp. or. p. 155.

7. *Lecidea leucococcoides* Nyl.

Thallus albidus granulosus (granulis diametri circiter 0,2 millim.), mediocris; apothecia sordide testacea vel lurido-testacea vel fuscescentia (latit. circiter 0,5—0,7 millim.), convexiuscula vel convexa, immarginata, intus incoloria; sporae 8nae incolores fusiformes 3—7-septatae, longit. 0,019—26 millim., crassit. 0,003 millim., paraphyses crassiusculae, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo gelatina hymenialis vinose rubens vel vinose fulvescens (praecedente quadam coerulescentia).

Supra vegetabilia destructa in Islandia (Grönlund).

Species accedens ad *L. bacilliferam*, notis allatis facile dignota.

8. *Lecidea lobariella* Nyl.

Apothecia nigra minuta discoidea (diam. circiter 0,3 millim.) plana immarginata; sporae 8nae fuscae oviformi-oblongae 1-septatae, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,005—7 millim., epithecium et hypothecium rufescenti-fusca vel rufo-fuscescentia, paraphyses graciles. Jodo gelatina hymenialis bene coerulescens (thecae apice praesertim tinctae, deinde ceterae partes vinose fulvescentes).

Ad Brestum (Crouan), supra thallum *Stictae pulmonaceae* sparsa, parasita.

Affinis *Lecideae orygmaeae* (Del.) Nyl. Enum. génér. supplem. p. 337 et vix specie differens epithecio hypothecioque pallidioribus, gelatina hymeniali iodo solum coerulescente. Facie externa, at affinitate minore, est *Lecideae Parmeliarum* Smmrf.

9. *Opegrapha hapaleoides* Nyl.

Subsimilis extus *Opegraphae atrae* f. *hapaleae* Ach., sed thallus alius cinereo-virescens vel olivaceo-virescens tenuis rimulosus (subdeterminatus) et sporae aciculari-fusiformes obsolete 5-septatae (longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,003 millim.).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0298-4

Ad corticem Ilicis prope Brestum (Crouan).

Est quasi inter *Opegraphem atram (hapaleam)* et *vulgatam* intercedens species. Sporae sicut in hac, sed thallus diversus praesertim gonidiis fere chrysogonidiis, nam saepe granula aurantiaco-rubentia adsunt in materia chlorophyllina) minoribus (diametri transversalis 0,006—0,010 millim.; in *O. vulgata* diam. saepius 0,011—18 millim.). Spermatia cylindrica recta, longit. 0,003—5 millim., crassit. 0,001 millim. *O. subvulgata* Nyl. exotica jam sporis et gonidiis distinguitur.

10. *Verrucaria Myricae* Nyl.

Similis *Verrucariae affini* (Mass.), sed perithecio (supero) lamina tenui versus lucem viso coerulescente. Thallus macula albida indeterminata indicatus. Sporae fusiformes 3-septatae, longit. 0,017—22 millim., crassit. 0,006—7 millim.

Ad Myricae corticem prope Brestum (Crouan).

11. *Verrucaria alienella* Nyl.

Thallus albidus vel albo-cinerascens vel albido-virescens tenuis leprosus; apothecia perithecio integre nigro (vel lamina tenui nigricante) minuto (diam. circiter 0,1 millim.) innata, parte solum supera denudata; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,004 millim., in thecis subclavatis, paraphyses mediocres. Jodo gelatina hymenialis non tincta.

Corticola prope Brestum (Crouan).

12. *Verrucaria pycnostigma* Nyl.

Apothecia perithecio integre nigro (diam. 0,1—0,2 millim.) innata, parte supera prominula; sporae 8nae fuscae oblongae 3-septatae, longit. 0,021—24 millim., crassit. 0,008—9 millim., paraphyses vix ullae. Jodo gelatina hymenialis non tincta.

In Gallia occidentali, Balleroy, Catillon, ad muros argillaceos (Godey), parasita in thallo *Bacomycetis rufi.*

Forsan *Sphaeria.* Sporae interdum loco septorum singulorum obsolete constrictiusculae.

Parmelia Mougeotii f. *discreta* Nyl. Syn. p. 392, Scandin. p. 100, est *P. alpicola* Th. Fr. Dicendus igitur sit hic Lichen

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0299-2

P. discreta [1]), vix tamen sit nisi varietas *P. encaustae.* Specimina Helsingforsiensia e statione subumbrosa dilutiora, thallo cinereo-flavido.

Lecanora nitens (Pers.) forsan specie distinguenda sit a *L. badia* sporis oblongis, longit. 0,009—0,018 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim. Etiam *L. nitens* in Algeria, Cgnstantine, obvenit ad saxa arenaria (Paris). At *Parmelia Montagnei* Fr. vix quidem ut varietas differt a *badia.*

Lecanora epulotica f. *diamartoides* Nyl., extus subsimilis *diamartae* Whlnb., sed apotheciis thallo concoloribus; sporae longit. 0,013—18 millim., crassit. 0,007—9 millim., iodo gelatina hymenialis coerulescens. Ad saxa in Islandia (Groenlund).

Pertusaria melastoma Nyl. in Flora 1864, p. 489 forsan sola varietas *Pertusariae Sommerfeltii* (Flk.), et *P. rhodoleuca* Th. Fr. pertinet, annuente Branth in litt., ad *Pert. xanthostomam* (Smmrf.).

Lecidea intermixta var. *parasemoides* Nyl. Enum. génér. p. 120 differt a typo praesertim sporis tenuioribus, longit. 0,010—17 millim., crassit. 0,004—6 millim. Ad muros argillaceos in Gallia, prope Melodunum (ipse) et ad Balleroy (Godey).

Lecidea cuprea var. *dilutior* Nyl. dicatur ea respecta in Nyl. Lich. Lapp. or. p. 144 in nota, intermedia quasi inter *L. cupream* et *vernalem,* thallo albido firmo verrucoso-granulato diffracto; sporae oblongae, longit. 0,011—23 millim., crassit. 0,004-5 millim., hypothecium incolor vel parum lutescens. In Lapponia variis locis (Carroll, Brenner, Norrlin, Zetterstedt).

Lecidea disciformis var. *enteroleucoides* Nyl., minor, hypothecio non infuscato, sporis longit. 0,013—18 millim., crassit. 0,007—9 millim. Saxicola in Islandia (Groenlund).

Myriangium Duriaei Millard. in Mém. Soc. Sc. nat. Strasb., VI, fig. 23, 24, pertinet ad *M. Curtisii* Mnt. et Berk., Nyl. Syn. p. 140.

---

1) Reactione chemica mox differt ***discreta*** a ***P. conspersa*** (et ***Mougeotii***), cui medulla hydrate kalico e flavo rubricose tingitur; nihil tale obvenit nec in ***encausta*** nec ***discreta.*** — Similiter nomen Lecidea ***convexa*** Th. Fr. Arct. p. 234 mutandum esse videtur, jam quoniam idem antea adhibitum exstat; ceteroquin haec Lecidea, ex specimine e Norvegia arctica a cl. Normann accepto, non differt a ***L. triphragmia*** Nyl., nisi tamquam forma ***physcicola;*** apothecia plana vel convexiuscula; sporae longit. 0,018—30 millim., crassit. 0,006—8 millim.; epithecium et hypothecium fusca. Nulla affinitas cum ***L. parasitica*** Flk.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0300-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1869

Band/Volume: 52

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa reactiones Parmeliarum adnotationes 289-298